



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Sita Virgo. 27. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

in undis corpus monstrat. Ergo illi cum piscatori-
bus ita convenit, ut quidquid demum prehensum
id loci verriculo esset, suum esset. MOX BASILEVS
extrahitur, non jam minutus capite, sed planè in-
teger. Una tantum & illa rubea linea ornabat, non
inficiebat cervicem, ut Glaphyra è Seruatoris sui
collo præmium, monile hoc videatur suspendisse.
Ex Surio.

*Habet aries Christiana potentes munitiones &
arma vittoria; Deo scilicet instridente milites suos-
ut spiritu veritatis mansuetudo iram, largitas ava-
ritiam, benignitas extinguat invidiam. S. Leo
serm. 7. de Iejun. 10. Mens.*

S. SITA VIRGO. 27. Aprilis.

P Rose Lucam in Hetruriâ nata SITA servitu-
tem Fatinellorum familiæ, imò verius egenis
servivit. Nam his ferè suum victimum cessit, & quod
unum in servâ supererat opis, pro mendicis quo-
tidie apud dominos mendicavit, præclaram mer-
cagoram dicitans. (& mercatores erant) ingens
cælum tantillo emere. Et verò liberali dextræ,
cùm nihil aliunde suppeteret, Numen suggeſſit.
Ita ſitienti rogatori cum aquam ſe porrexiffe cre-
deret, vinum propinavit. Alteri cùm fabas venden-
das gratis dediffit, nihil tamen dominus ſuperve-
niens abesse compérit, mensuram cælo, ut promi-
ferat, remetiente. Vestem quoque pellibus ſubdu-
ctam, & commodatam ab hero, nudo ipsa com-
modavit. Nec fecellit. Retulit hic cùm irasperetur
kerus SITA, & ex oculis diſparens docuit, nulli
ſecurius rem credi, quam cælo. Alijs deprehensa
panis reliquias miseriſ ferre, quod oculos domino-
rum falleret; tantisper in flores vertit, gratifímos
deinde eſurientibus odore. Suum verò, hoc eſt,

vir-

208 VITÆ S A N C T O R V M . 28. April.

virginitatis florem , quem à teneris intactum in tumulum etiam salvum intulit , precibus & jejuniiis fovit, lacrymis rigavit , nec lecto , sed quæ floribus amica est , terrâ depositus , nec dubitavit quandoque procacem servuli petulantiam unguibus notare , itaque vel invitum verecundum facere. Nudis pedibus ad sacra loca euntem multa miracula comitata. Quid? quod domum redemptis sub noctem comes è cælo delapsa MARIA ivit , & pontis urbisque portas reclusit. An dubitabimus ergo Cœli januam viventi Sitæ tam propitijs morienti patuisse? Ex Bzovio, 13. tom. Ann. Eccl.

Succincti lumbos mentis castam & sobriam vitam in Dei timore dicamus, nec concupiscentiis carnis mens principatus sui oblita consentiat. Brevia & caduca sunt terrenarum gaudia voluptatum quæ ad eternitatem vocatos à semitis vita conantur auertere. S. Leo ser. 2. de Ann. Aff. suæ.

SS. THEODORA ET DIDYMVS
MM. 28. Aprilis.

F Abulam damus, dum vivimus , alias alio pulchriorem: pulcherrimam DIDYMVS & THEODORA dederunt. Haec dum parvulum tyrannum Amorē fugit, in majorem alterum Maximinum Imp. incidit. Iubetur aut fidem , aut virginem ponere. Quid ageret? Martyr moreretur, non virgo? Virgo viveret, non Martyr: placuit virginis Martyrem sociare. Abripitur in cellam infamem: sed primus DIDYMVS irruit in militis personā vultum amantis præferens: instruitur elegantissima scena: mutantur vestes: sub milite evadit virgo: sub virginie miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa virgo , quam cum sic miles ; nunquam magis iste

vir,